

III, art. III determinat, quod sancti semper in suis orationibus exaudiuntur propter conformitatem suæ voluntatis ad voluntatem Dei. Et idem confirmat 2-2, q. LXXXIII, art. XI. Hoc autem sufficere ad possessionem excludentem spem, ex eo confirmatur, quia non aliter dicitur possideri gloria corporis a beatis, nisi quia possidendo gloriam animæ possident principium unde naturaliter dimanat gloria corporis, si corpus iterum animæ uniat; quod vero de facto uniendum sit non habetur ex vi solius gloriæ animæ, nisi quatenus habet adjunctum decretum Dei de facienda resurrectione, ut totus homo fruatur fine suo: possessio ergo illius decreti non prout solum est in voluntate Dei, sed prout est alligatum rei possessæ, scilicet beatitudini animæ excludit arduum spei circa gloriam corporis: similiter ergo possessio status beatifici; cui alligatum est decretum non fraudandi eum omni eo quod desiderat, efficaciter excludit arduum spei. Sicut si rex traderet anulum ministro ad signandum quidquid desiderasset, talis diceretur possidere regis voluntatem, et consequenter non speraret ea, quæ a rege sunt obtinenda: beati ergo solum ex charitate, non ex arduum spei desiderant efficaciter aliis. Secus est in animabus purgatorii, quæ etsi sint securæ de decreto Dei securitate cognitionis, non tamen possident statum, cui tale decretum alligatur; unde nondum excludunt spem, quia nondum obtinent possessionem.

VI. Ad primum argumentum contrarium respondetur, quod id quod est in potestate alterius mihi communicata, et conjuncta, non est mihi arduum: quod vero est in potestate aliena, mihi non communicata potest manere arduum; sicut quia bona uxoris communicantur

viro, et e converso, non dicitur sperare illa, quæ possidet per uxorem, quia non sunt in potestate alterius, quasi extranea, sed sibi conjuncta. Sic cum inter beatos, et Deum sit summa conjunctio, quæ desponsationi, et conjugio assimilatur, illa quæ sunt in potestate Dei, non sperantur a beatis, quia illa potestas est sibi conjuncta, et quasi in dotem data, ut voluntate Dei utantur ad ea, quæ sibi conveniunt juxta statum suum; quod non currit in animabus purgatorii, ut dictum est, quia adhuc sunt in statu pariendi, non fruendi et possidendi. Quod vero additur de possibilitate majoris gratiæ, hanc nec sperant, nec desiderant beati, quia non est sibi debita, nec conveniens, nec futura.

VII. Ad secundum dicimus, non sufficere ad rationem ardui, quod aliquid sit supernaturale quomodo-cumque, sed quod sit supernaturale non possessum, nec in se, nec in suo titulo, vel causa inevitabili; quod enim sic habetur jam possidetur ea possessione, quæ sufficit excludere rationem ardui, et spem communiter dictam, ut ostensum est. Ad tertium assignavimus disputatione præcedenti, articulo primo duplex principium, a quo elicitur illud desiderium de gloria corporis. Primo, ex charitate, quatenus desiderant illam in honorem Dei: secundo, ut est bonum proprium, et sic elicitur illud desiderium ab ipsa fruitione, qua fruuntur gloria animæ, non solum absolute in se, sed ut est radix inevitabilis gloriæ corporis, sic enim et possidetur ipsa gloria corporis in suo titulo, quod sufficit ad excludendam arduum spei, et tamen adhuc non est præsens quantum ad durationem, quod sufficit ad desiderium. Et si dicas: Nam fruitio est actus; ergo non potest esse principium desiderii, quod

est alius actus, respondetur unum actum posse esse causam alterius sicut dicit S. Thomas 1 part. quæst. xxv, art. II et III, quod una passio, quæ est actus appetitus sensitivi est causa alterius, proprie tamen unus actus non est principium elicivum alterius, sed quia unus actus relinquit subjectum sic dispositum, et determinatum quasi habitualiter, vel dispositive ut possit elicere alium actum, qui cum eo habet connexionem, ideo dicitur esse causa illius.

VIII. Ad quartum late respondebimus III par. quæst. VII, art. VII. Nunc breviter dicimus utramque opinionem esse probabilem, scilicet in Christo viatore fuisse spem communiter dictam, etiam ut distinguitur a desiderio et probabile est non fuisse, sed eodem modo loquendum esse de Christo, ac de aliis beatis: et tota probabilitas fundatur in hoc, quia probabile est, quod ex vi status viatoris, quem assumpsit, mansit objectum arduum, et perinde ac si non esset possessum respectu talis status, et respectu subjecti ut gerebat talem statum, et regulabatur regulis ejus, eo quod respiciebat illud objectum, ut cadens sub merito, atque adeo ut non possessum, sed ut obtinendum ex vi talis status. Probabile etiam est, quod non mansit arduum propter conjunctionem status comprehensionis, cui debatur illud bonum ex inevitabili causa, unde non remanebat ei arduum simpliciter, et ex omni parte, licet secundum quid, et ex aliqua parte arduum erat, in quantum erat in statu possibili. D. Thomas non leviter inclinat in primam sententiam, quia cum reliquis beatis denegat omnem spem, etiam communiter dictam, concedat autem desiderium in locis supra citatis, tamen in Christo distinguit, quod in quantum viator poterat habere spem communiter dictam, licet non spem

theologicam. Si autem nomine spes communiter dictæ intelligeret solum desiderium, non erat cur distingueret inter reliquos beatos, et Christum, cum etiam ipsi hoc desiderium habeant. Videantur quæ loco citato diximus. Pro præsentibus tamen difficultate constat, quod etiam admissa spe in Christo Domino, ut viatore, non propterea est admittenda in reliquis beatis, qui viatores non sunt, quia Christus Dominus hoc ipso, quod erat viator tendebat ad gloriam corporis per meritum, et consequenter ex vi talis status respiciebat illam ut non possessam, nec in se, quia nondum erat, neque in suo titulo, quia titulo meriti acquirenda erat. Reliqui autem beati non respiciunt illam, ut habendam per merita nova, sed ex meritis antiquis possident titulum, quo inevitabiliter sint illam habituri.

IX. Ad loca D. Thomæ, quæ videntur attribuere beatis spem communiter dictam, dico quod loquuntur de spe largo modo, prout dicit expectationem desiderii, non de spe a desiderio distincta; hanc enim expresse negat 1-2, quæst. LXVII, art. IV ad tertium. Comparat autem D. Thomas orare cum sperare sumendo sperare in beatis, pro expectare, seu desiderare.

ARTICULUS III.

Quomodo spes in viatoribus possit esse certa?

I. Certitudo cum sit firmitas quædam, et infallibilis securitas, potest sumi tripliciter, vel objective; prout in ipsis rebus invenitur infallibilis connexio unius cum alia, vel formaliter in intellectu, quatenus percipit, et assentitur ex motivo infal-

libili, vel participative in voluntate, quatenus infallibili medio, et motivo movetur ad finem. Hic ergo duo sunt certa. Primum est, spem habere certitudinem objectivam ex parte Dei, cujus auxilio infallibili movetur, quantum est ex parte rei, et similiter ex parte voluntatis habere certitudinem participativam, et practicam: secundum est, ex parte cognitionis non dari assensum, quasi speculativum, certum de assecutione spei. Utrumque definit Concilium Tridentinum, sessione VI, capite XIII, dum inquit: « Quod de perseverantiae munere nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, et reponere omnes debent; Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, et perficere. » Ita Concilium. Et ex ipsa Scriptura constat habere spem hanc certitudinem, et firmitatem, ut Roman. V: *Spes autem non confundit*: et Hebræor. VI: *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam*. Solum ergo restat explicare, in quo consistat ista certitudo voluntatis, quam D. Thomas dicit esse certitudinem participative. Et difficultas consistit in duobus. Primo, quomodo possit voluntas participare certitudinem, cum intellectus habeat illam; neque enim potest formare assensum certum de assecutione spei: secundo, quomodo possit participare istam certitudinem mediante fide, sicut dicit hic S. Thomas quæst. XVII, art. IV.

II. Prima difficultas explicatur sic: Quia ad certitudinem voluntatis tendentis in aliquem finem non sufficit, quod ipsa media secundum se habeant firmam, et certam connexionem cum fine, sed requiritur, quod mihi constet de applicatione talium mediorum ad me, in quo ef-

ficiunt aliqua exempla, quæ ad explicandam certitudinem spei aliqui doctores multiplicant, ut si quis accipiat a rege pecuniam, qua possit emere civitatem, et sua culpa illam perdat, ipse sibi est causa perdendi, non autem est defectus aliquis ex parte pecuniæ; et similiter qui habet castrum inexpugnabile, quod tamen ipse custos castri tradit inimico, per hoc non tollitur, quod castrum illud sit firmissimum, et inexpugnabile. Hæc tamen exempla deficiunt in una principalissima conditione, quia tam castrum, quam pecuniam ergo certissime possideo; at vero hic licet sim certus, quod gratia Dei est quasi castrum inexpugnabile, et pretium sufficiens ad gloriam, tamen non sum certus, quod Deus mihi illam dederit, vel dabit; ergo non possum ex vi hujus formare sufficientem certitudinem ad firmitatem voluntatis, et spei. Sicut converso, si intenderem emere civitatem pecunia danda a rege, si non sum certus quod talis pecunia mihi dabitur, quomodo possum habere certitudinem in voluntate de obtinenda civitate? Et præterea, certitudo spei est firmus, et efficax affectus de ipsa consecutione finis, circa hanc enim versatur certitudo; sed de ista consecutione nullam habet certitudinem intellectus, ergo nulla participatur in voluntate. Consequentia patet, quia certitudo ista participata, ab intellectu participari debet, ut S. Thomas docet hic; ergo si nulla est certitudo in intellectu de tali consecutione, de eadem nulla participabitur in voluntate. Minor probatur; tum, ex definitione Concilii, quod nullus est certus de sua salute; tum, quia non solum de ipsa salute secundum se, nullus est certus, sed neque ut continetur in virtute mediorum, quia unum ex mediis, a quo dependet ista consecutio est fallibile, scilicet liberum arbi-

trium nostrum, et opera nostra, sine quibus talis finis assequi non potest: sed quotiescumque in intellectu proceditur ex una præmissa fallibili, quantumcumque alia infallibilis adjungatur, conclusio manet fallibilis et incerta, ergo similiter hic.

III. Secunda vero difficultas sic explicatur: Quia spes non potest immediate participare fidei certitudinem, nisi mediante aliquo iudicio particulari, quod non est actus fidei, et consequenter non habet fidei certitudinem, sed solum probabilitatem; ergo non communicat illi certitudinem. Antecedens probatur, nam fides solum in communi docet, Deum sua omnipotentia posse nos perducere ad beatitudinem, et quantum est ex se nemini denegare gratiam; quod vero mihi in particulari velit dare auxilia congrua ad obtinendam gloriam, fides non docet, nam si doceret, desperans semper amitteret fidem, quia qui desperat, semper existimat Deum de facto nolle sibi dare gratiam, quamvis non neget posset dare: illud ergo particulare iudicium, quod Deus mihi velit dare congruam gratiam, non est actus fidei, quod tamen iudicium requiritur ad spem, nam propositio fidei in universali non sufficit ad sperandum, nam stante tota propositione fidei, stat aliquem desperare, ut dicit S. Thomas infra quæst. XX, articulo secundo. Ergo sola propositio fidei in universali non sufficit ad constituendam spem, sed requiritur illud particulare iudicium, quod tamen non habet certitudinem fidei; ergo si mediante illo participatur a spe fidei certitudo non potest firma, et absoluta certitudo participari.

IV. Pro hujus ergo explicatione est advertendum, non pertinere ad spem certitudinem speculativam, sed practicam, quatenus est certitudo affectus, vocatur autem certi-

tudo speculativa illa, quæ respicit veritatem rei; et mensuratur penes esse, vel non esse, sicut si habeatur iudicium, et assensus circa ipsam assecutionem beatitudinis, quod de facto erit, vel non erit, et hoc nisi per revelationem divinam haberi non potest. Certitudo autem practica non respicit veritatem ipsam rei secundum quod de facto aliquid erit vel non erit, sed respicit regulas prudentiæ, secundum quas aliquid potest efficaciter, et determinate appeti. Secundo, est advertendum, quod certitudo voluntatis aliter regulanda est in actu fruitionis, seu gaudii, aliter in actu aggressionis et spei. Prima enim certitudo est omnimoda, et absoluta, supponitque speculativam certitudinem in intellectu, eo quod fruitio est de re possessa, et actu præsentis: secunda vero certitudo est præcise certitudo practica, quæ consistit in hoc, quod habeat certam, et debitam regulationem, quæ consistit in hoc quod voluntas habeat sufficiens motivum, ut non vacillet et retrocedat, sed efficaciter et recte tendat in finem. Sicut enim datur in intellectu plena determinatio, et resolutio quando perfecte convincitur intellectus ad aliquem assensum, ita plena determinatio, quæ est circa resolutionem voluntatis tunc datur, quando sibi imperfecte repræsentatur sufficiens motivum ad non deficiendum in intentione finis: tota autem sufficientia, et certitudo istius motivi dependet ex certitudine mediorum, quibus potest perducere ad assecutionem finis, quia per certitudinem mediorum debent difficultates vinci. Et sic ex illis pendet, quod objectum spei appareat, ut bonum vincens. Et hæc certitudo de mediis in spe theologica quantum est ex parte Dei, quod non deficiet, fides docet; quantum est ex parte mea, quod non deficiam, fides